

tunc rerum potiretur, Henrico, cuius in Rempublicam egregia perspectaque voluntas sit, expectari posse: si deferendo Battoreo regios titulos Galliarum Regi ablatos velit, hoc exemplo reliquos christianos Principes ad legationes in Sarmatiam mittendas, non absque jurium, atque existimationis Henrici detrimento, impulsum iri. Eodem officii genere Hieronymus Gondius, a Regis secretis, cum Joanne Mauro oratore utitur. His ita respondendum Senatus censuit: *Nulla in re ejus Regis, quem unice amaret & coleret, jura imminuere aut labefactare; non Henrico regios Sarmatiae titulos adimere Senatum eo decreto aut voluisse aut cogitasse: de negotiis tantum, quae in iis regionibus Reipublicæ intersint, jure omnium gentium pertractandis actum: Pontificem quoque ad eum Antonium Possevinum destinasse, atque a Battoreo legatum excepisse: neque secus Cæsarem fecisse: itaque nihil vel novum, vel insuetum in oratore diligendo factum.* At Henricus minime acquiescere: *Possevinum non legatum, sed privatum hominem, unius tantum rei peragendæ causa, a Pontifice in Sarmatiam amandatum: Battorei legatum de more ad Apostolicæ Sedis obedientiam exhibendam Romam venientem excepturum.* Ceterum ipsemet Battoreus, maturius re perpensa, quantaque ex mutuis hisce legationibus in Turcarum animis suspicio irrepere posset, animadvertisens, cum eorum amicitiam suis rebus admodum necessariam intelligeret, plurimum ex pristino animi, quo oratorem concupiverat, ardore remisso, antiquata legatio est.

*Sarmatice
legatio an-
tiquata.*

LIBRI DUODECIMI,
ET
TOMI SECUNDI
FINIS.

